

PRECES SILVAE

Administratio silvarum oppidi Maribor.

En hominem alloquitur sic silva simulque precatur:
Sum calor in fornace tua, cum frigida bruma est
Ac refrigerium pergratum sole calente
Sumque tuae domui tectum mensaeque tabella,
Sum lectus recreans, ubi fessus tam bene dormis,
Sum scamnum lignumque ad naves aedificandas
Sumque tui lignum rastri, postes stabuli sum,
Lignum sum tibi cunarum, loculi quoque lignum,
Sum bonus, en, panis, sum flos munusque decoris,
Sumque valetudo, sum thesaurus regionis.
Quae precor, exaudi: Ne me vastes, homo laute,
Post te nil maneat praeter vestigia gressus!

Mile Klopčič:

HAEC TRIA COR CUPIT — TRI OTROKOVE ŽELJE

In palma tria sunt calla patri meo.
Nunc miracula cor sic tria mi cupit:

Callum primum habitum fiat id aureus,
Ut nam hortum coemam condecoratum eo,
Ut carus genitor illum adeat meus
Omni vespere ibi pace quiescere.

Dein id callum aliud flos nitidissimus
Evadat redolens in viridario,
Ut mirans stupeat, cum remeaverit
Languens ex operis, tum genitor meus.

Callum risus ovans fiat id ultimum,
Quem nam huic suppeditem, qui pater est mihi,
Quamque optem, genitor rideat ut meus
Ac videre patrem saltem hilarum semel!

Ljubljana.

Vertit: Silvo Kopriva.